

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1889

**Auteur(s) :** Robert de la Haye [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Neufmesnil, Notre-Dame et Saint-Nicolas de Blanchelande (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1154

**Lieu d'émission :** Blanchelande

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard de la Haye et sa femme Mathilde notifient la fondation de l'abbaye Saint-Nicolas de Blanchelande et la dotation y faite par eux-même.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XVII, col. 242-243.

Texte établi d'après a

Ricardus de Haya et Mathildis uxor ejus, omnibus hominibus suis et amicis Normanniæ et Angliæ, salutem et dilectionem. Notum sit vestræ dilectioni, et omnium, tam præsentium quam futurorum, caritati, quod nos in propria hereditate nostra, in loco qui Blanca-landa dicitur, unum monasterium fundavimus in honore Dei et Domini nostri Jesu Christi, et B. genitricis ejus, et sanctissimi confessoris Nicolai, ibique conventum canonicorum ad serviendum Deo in ordine Præmonstratensi constituimus, quibus ad victum et vestitum pro redemptione animarum nostrarum et vestrarum, et omnium antecessorum nostrorum, de parvitate nostra hæc subscripta conferentes, in perpetuam eleemosynam, per manum domini Richardi Constantiensis episcopi, Domino consecravimus, Guillelmo de Vernone et Richardo filio ejus, et Radulpho de Haya nostro nepote concedentibus, et super altare præfati monasterii propriis manibus nobiscum offerentibus, ipsum videlicet locum in quo fundatum est monasterium, cum omnibus adjacentibus suis, a Bella-valle usque ad montem Estenclin, sicut eum a foresta separat terminorum appositio. In Haya Putei terram Cernart, in teloneo quadraginta solidos, et domum Hugonis de Nigelli humo, cum suo horto et prædio, ita quietam, quod homo qui in ea manebit, vendet et emet in domo et extra in foro, et ubique omnino quiete ; et duas acras terræ juxta terram Malconvenans, et molendinum tanarium juxta parcum in Anfremesnil, terram Radulfi clerici, et terram Gaufridi sacerdotis, et alias decem acras terræ ; et in mari unam piscariam et salinam Osbert, et terram Richerii de Fenouilleret et terram integram quam tenebat Radulphus Chenevant pro uno quarterio avenæ in Bossevilla ad mensuram Roberti Tillemand ; ad Caudecote terram Vase, et in Varenquebecq terram Gobé ; ad Essart duas masuras terræ, et cum altera earum costumans in foresta ad opus figuli ; forestas autem nostras ubique et quandiu duraverint, ad omnia ædificia sua propria facienda et reficienda, similiter ad ignem et ad omnia domus necessaria, pasnagium porcorum suorum in eis quietum et suorum hominum ab ipsis hominibus persolvendum, et omnes sibi utiles et necessarias costumans forestæ ; in parco autem suorum tantum porcorum quietationem et communem cum nostris, et similiter post nos cum porcis domini libertatem, et arbosturam boum, et coria cervorum et omnium bissarum, et terram Rogerii Foresti integre sub chemino scilicet, et

supra cheminum quem donaverunt eis, ipse et Paganus filius ejus, cum domo quæ in ea erat. In Chetevilla terram Hugonis Tauri, et pisces exclusæ quocumque modo capiantur, et assisiam retis in novio molendini ad capiendas anguillas, et si voluerint facere super illo piscariam, et unam masuram terræ ibi juxta ad hospitandum piscatorem. In Bosevilla terram Parnier. In Popevilla et Varevilla decimam grangiarum, videlicet cum ad illas currus attulerit garbas sive quadriga, vel quocumque modo afferantur, et undecumque novem in grangiis computentur, decima canonicis reddatur, et decimam garbagii et omnium denariorum, excepto teloneo, et omnium quæ ex illis dominiis exeunt, etiam fœni et camparti, crassi piscis et feriæ campaniæ, excepto molendino de Vado. Ecclesias autem de Chetevilla et Bosevilla, et in ecclesia de Montegardo quidquid ad feodum de Haya pertinet, similiter per manum domini Richardi Constantiensis donavimus huic nostro monasterio, ita scilicet quod in ecclesia de Montegardo canonici in vita Radulphi de Rotor dimidias garbas decimæ tantum habeant, post mortem vero ejus integraliter totum ad canonicos redeant. Illam autem de Chetevilla Gaudefridus sacerdos, et illam de Bosevilla Gaufridus, quia tunc in illis erant personæ, in vita sua a canonicis requirentes susceperunt tanquam clerici obedientes, et de recognitione quod inter illos convenit annuatim reddentes ; post mortem vero eorum integraliter et tota, excepta quadam parte decimæ garbarum quæ ad præbendam de Moretonio pertinet, et quiete ad canonicos redeant ; prænominati sacerdotes Gaudefridus et Gaufridus omnem juris hereditarii acclamationem quam in illis faciebant, in manu domini episcopi resignaverunt, et super altare præfati monasterii propriis manibus ponentes omnino dimiserunt, quod similiter Radulphus de Rotor fecit de illa de Montegardo ; et ecclesiam sancti Symphoriani cum omnibus ad eam pertinentibus, de quibus est decima molendini de Caudecote, et decima piscium exclusæ ejus. In Anglia Cambringueham manerium cum omnibus pertinentiis suis, excepta ecclesia. Hæc itaque præscripta, præsentem clero et populo approbante, donavimus huic nostro monasterio sancti Nicolai de Blanca-landa, nihil omnino in omnibus his retinentes, sed ab omni jure et dominio, et secularium consuetudinum querela et exactione ad nos pertinentibus libera et absoluta super altare offerentes, per manum episcopi Domino consecravimus, excepto opere exclusæ in terra Parnier de Bosevilla, et in terra Hugonis Tauri de Chetevilla, quæ masura etiam costumæ suas habet quietas in foresta, et excepta multa hominum de terra Radulphi clerici apud Amfremesnil, et opere exclusæ. Testibus Richardo Constantiensi episcopo, Valterio abbate Montis-burgi, Radulpho priore Exaquii, Ricardo . . . et Philippo Constantiensi archidiacono, etc. anno ab Incarnatione Domini M. CLIV, in Blanca-landa.